



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roberti Turnerii Devonii Oratoris Et Philosophi
Ingolstadiensis Panegyrici Dvo**

Turner, Robert

Ingolstadii, Anno M. DC. IX.

Gvlielmo Serenissimo Vtrivsqve Bavariae Dvci, Domino Clementissimo R.
T. S. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69598)

alienis esse talpam. quanquam monuit quidam
 rum gerendarum artifex apprimè peritus, peccari
 iam grauissimè in hanc partem à Principibus, qui
 malunt habere multos, tanquam malos Philosophos
 in colligendis omnibus minutis superstitiosè curiosos,
 quàm paucos in adorandis certissimis, tanquam bo-
 nos canes, tacitè sagaces. putauit se id euincere, cum
 colligeret & Agamemnonem habuisse vnum Nesto-
 rem, & Athenienses vnum Solonem, & Romanos
 vnum Scipionem, & (vt nostra attingam vno digiti-
 lo timidè) Laurentium Medicem vnum Machiavel-
 lum. prudenter planè; siquidem statuit maiori esse
 prudentiæ scire pauca à paucis, quæ sunt certa, quam
 multa à multis, quæ sola nituntur suspitione. Quæ
 quæ in hoc itinere collegeram certa esse, & ad Tuam
 Serenitatem pertinere maximè, illa iam coarctata,
 & perangustè referta mitto, vt habeat, in quo non
 tam laudaret meam facultatem de magnis, quam
 probaret voluntatem de certis.

GVLIELMO SERENISSIMO

VTRIVSQUE BAVARIAE DVCI,

Domino Clementissimo

R. T. S.

II.

Multa sunt, quæ commendant Principem; mul-
 ta, quæ subditum: sed inter hæc multa, duæ
 sunt.

maximè, Principem beneficentia, subditum fides. nam sit & beneficentia, vt qui Princeps est natura, sit beneficio Deus: & fide, vt qui subditus est lege, sit officio filius. vnde gaudebant Alexander ac Leopater, ille se in hoc reperisse fidem, hic se in illo expertum fuisse beneficentiam. fuit certè gaudium vtrunque serium, vtrunque sanum, cum quæ res duæ in natura sint maximæ, hæ singulæ ex illis singulis efflorescant, ex beneficentia homo factus Deus, ex fide seruus factus filius. quare gaudeo, gaudeboque semper, meam fidem in eam Principis beneficentiam incidisse, quæ possit suæ liberalitatis fontes effundere beneuolè, cum petatur, ac prudenter occludere, si taceatur. peto ergo per Magnificum D. Cancellarium parua audacter, necessaria vehementer, audacter tamen & vehementer ea moderatione, vt petam etiam à Principe & mearum iam fortunarum Deo suppliciter & venerabundè. Valeat. Ingolstadtj.

ROBERTVS TVRNERVS GV-
LIELMO, SERENISSIMO VTRIVSQUE
Bauariæ Duci, &c. Domino Cle-
mentissimo S. P. D.

III.

Hominem familia facit Principem, Principem
beneficentia facit Deum. Vos Dij estis, dicit
Deus,